

Theſin affirmantem ſuadent hæ rationes. 1. Omnis cauſa eſt prin-  
 cipium. Principium 2. eſt prius principiato. Ergo cauſa eſt prior cauſato.  
 2. Omnis cauſa antecedit effectum naturã, dignitate & cognitione. E-  
 etiam eſt prior eodem. Negantem v. ſuadent ſequentes: 1. quæ ſunt ſi-  
 mul, illorum unum non eſt prius altero. Atqui cauſa & cauſatum ſunt ſi-  
 mul. *Ariſt. 1. 5. Met. c. 2.* quia ſunt relata. 2. Si effectus eſt principium cogno-  
 ſcendi cauſam, ſequitur, non omnem cauſam effectui ſuo eſſe priorem. At  
 verum prius. E. & poſterius. Antecedens probatur. Quia effectus deducit  
 nos aliquando in cognitionem cauſæ. Effectus enim eſt ſenſibus vicinior  
 & notior. Et nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu. 3. Si finis eſt  
 poſterior mediis, ſequitur, quòd quædam cauſa ſit poſterior cauſato. An-  
 tecedens probatur: Quia media ordinantur ad finem: unde vulgò dicunt:  
 Finis eſt poſterior mediis, quæ ad finem ducunt. Hæc argumenta in utramq;  
 partem mota, ut ſolvantur, obſervanda ſunt ſequentia theoremata. *Deciſio*  
 1. Cauſa ſi abſolutè conſideratur, eſt prior effectui naturã: Quia antequam cau-  
 ſandi actum exercet, exiſtat neceſſe eſt. *per certa*  
 2. Cauſa relativè conſiderata, eſt *theoremata.*  
 prior cauſato, dignitate. Quia cauſatio activa eſt dignior paſſivã. Aliàs eſt  
 ſimul cum cauſato naturã; quia hæc ratione ſunt relata. 3. Cauſa ſemper  
 eſt prior cauſato, cognitione diſtinctã & intellectuali: poſterior verò eod-  
 dem, cognitione confuſã & ſenſuali. 4. Finitum, quatenus propriè ſu-  
 mitur pro cauſato, quod vi finis exiſtit, & à fine dependet, eſt poſterius fi-  
 ne: quatenus verò impropriè ſumitur pro mediis ſeu cauſis ad cauſatum  
 producendum deſtinatis & ordinatis, eatenus eſt prius fine. Hinc liquet,  
 quid ſentiendum ſit de argumentis in utramque partem allatis. Nam præ-  
 ter alias fallacias, quibus laborant, in ſingulis peccatur ex ignorantia E-  
 lenchi. Nam unum & idem ens diverſo conſiderandi modo, poteſt eſſe  
 & prius & poſterius altero. Concluſio igitur eſt, quòd cauſa poſſit eſſe &  
 prior & poſterior cauſato, non eodem, ſed diverſo reſpectu, ut ex præmiſ-  
 ſis theorematibus eſt colligere.

#### DISQUISITIO V.

*An qualis cauſa, tale ſemper cauſatum?*

**E**ſt quidem canon hic vulgatus & uſtatus in ſcholis Logicorum, ſed *Affirmatur*  
 ut uſus, ita ejus propter pravum intellectum regnat abuſus: *limitatè.*

ut tollamus, canonem tanquam universalem nimis hoc modo restringimus & limitamus. 1. Valet in causis per se, non per accidens agentibus. Non enim valet: Sutor est moraliter bonus. E. & calceus, quem parat, erit talis. Nam sutor conficit calceum, non quia moraliter, sed quia artificialiter est bonus. 2. Valet in causis naturalibus, iisque potissimum particularibus, non universalibus. Non igitur procedit: Effectus Solis est calidus. E. & ipse Sol. Quia Sol est universale agens; & Sol est calidus, non formaliter, sed virtualiter & eminenter, seu ut liceat nobis cum scholasticis loqui, calor est in Sole non affectivè & inhaesivè, sed effectivè & productivè. 3. Valet in causis voluntariis, quando nimirum effectum sibi similem & conformem volunt producere. Sic non valet: Pictor est artifex egregius. E. pictura ejus est egregia: Sed valet: Pictor est egregius. E. si vult pingere, est potis. 4. Valet illa modo & salvo modo recipiendi ejus, quod causae effectum recipit. Quare non valet: Deus est summè perfectus. E. & creatura. Nam quòd quaedam dona Dei sint imperfecta, illud non defectui Dei est ascribendum, sed creaturarum. Deus enim non deficit in dando. Creaturae autem deficiunt in recipiendo; quod etiam Scholastici indicant, quando ajunt: *Receptivum non recipit per modum imprimendi, sed per modum receptivitatis.* De his limitationibus vide plura apud Keckerman. *Syst. log. pag. 174.* Insuper cautela quaedam non est omittenda: quando agitur de bonitate causae, non intelligenda est bonitas moralis, sed naturalis & artificialis facultas & vis agendi.

#### DISQUISITIO VI.

*An numerus causarum sit quaternarius?*

Affirmativa tenetur sententia. Pro thesi negante.

**S**ola affirmans thesis, ut ab omnibus Philosophis sanioribus, ita à nobis approbatur & recipitur. Sed audiamus argumenta, quae in contrariam partem possunt afferri. 1. Si dantur adhuc aliae causae, quae ad has quatuor non possunt referri, sequitur, causarum numerum excedere quaternarium. Antecedens probatur. Nam 1. quando quæro, propter quid imago Socratis sit sima, nulla alia est causa explicans quæstionem hanc propter quid, nisi exemplar. Respondetur igitur mihi, propter exemplar, quod artifex sibi proposuit imitandum. 2. Causa sine qua non, est ab his quatuor diversa; quia non ejus vi, ut reliquarum, res est: sine illa tamen res nec